

SCHEFFERUS, JOHANNES

**Joannis Schefferi Argentoratensis
Sciagraphia juris naturæ.**

U. o. tr. å.
1679

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>




Film 1700.
Ffilm.
9

F 1700

1785





Rariss.

Outgiffen.

J
J
nat
pro
mo
I
J
m
pos
F



JOANNIS SCHEFFERI

Argentoratensis

SCIAGRAPHIA

JURIS NATURÆ.

JUs Naturæ partibus duabus, velut adumbratum, exhiberi posse videtur: una *Generali*, quæ illius constitutionem naturamque doceat, & altera *Speciali*, quæ proponat partes singulas, & quæ eas quoquo modo consequuntur.

PARS GENERALIS.

Juris Naturæ constitutio intelligetur, primum, ex declaratione nominis, post, expositione rei.

CAP. I.

De Nomine Juris Naturæ.

Per appellationem *Juris* intelligimus hic, non impunitatem, aut licentiam,

per

(2)

permissionemve, sed nec facultatem aliquam moralem agendi, sive potestatem; verum iussionem, præceptionem, mandatum, Legem. Per vocabulum *Natura* vero inquit, agere nos de lege, non quacunque, verum ea, quæ sit indita humanæ naturæ, una cum ratione, eique intimè ac perpetuò inhæreat; adeoque non sit ex voluntate aliqua, arbitrio, potestate hominis ullius, sed ipsam ejus naturam consortio indissolubili consequatur.

CAP. II.

De re ipsa.

1. **I**N re ipsa duo veniunt consideranda, quorum unum pertinet ad *existentiam* hujus Juris, alterum ad *essentiam*.

2. De existentia ipsius pariter consideranda duo: *Primum*, an revera detur Jus hujusmodi naturæ? *Secundum*, an, si forte detur, certis quibusdam doctrinæ comprehendendi possit regulis, atque ita disci ac doceri?

3. De essentia videndum, qualis illa sit, primo respectu causarum, deinde respectu suorum effectorum, earumve rerum, quæ essentiam ipsius consequuntur.

CAP.

(3.)
CAP. III.

De Juris Naturæ existentia.

Nullum dari Jus Naturæ, crediderunt olim, creduntque etiam nunc, quotquot censuerunt, aut hodie quoque censent, actiones hominum morales natura sua esse neque bonas neque malas, sed indifferentes; hoc inter alia præcipuè inducti argumento, quod viderent nullam actionem, quæ non, si ab una laudatur gente, vituperetur ab altera, si puniatur ab una, non permittatur ab altera: quod indicium existimant prorsus infallibile, Judicii, de re, non certis naturæ fundamentis, sed opinionum erroribus, & veritatis tantum falsa specie subnixi. Verum, cum id omne negotium, qualecunque sit, ex judicio proveniat humano, à quo primo non dependet natura humanarum actionum, quodque multis deindè obnoxium est erroribus, idcirco validum esse argumentum ab eo desumptum haud potest.

2. At contra, dari tale Jus, monstrare licet argumentis aliis, & validioribus, desumptis, partim à natura divina, partim à natura humana. In natura Divina occurrit primo *providentia*, cui repugnat, darificatio.

nem quæ habeat facultatem intelligendi, atque eligendi, & tamen regulam dari nullam, quam facultas illa sequatur; cum sic semper foret dubia & incerta, id est, non esset vera ratio. Deinde occurrit *Justitia*, cui repugnat, probare actiones aliquas, vel improbare, improbatas irasci, easque afficere supplicio, sensum quoque huius iræ improbationisque indere humanæ menti, & tamen eandem mentem absque ulla regula relinquere in dubio; hoc enim quid esset aliud, quam id agere, ut licet homo velit improbationem iramque illam fugere, propter defectum tamen regulæ non possit.

3. In natura humana occurrit, primo sensus regulæ istius, quem prodit conscientia, in hominibus etiam pessimis, etiam volentibus eam opprimere: quod non fieret, si nulla talis esset regula, vel ab opinione sola proveniret, nec inhaereret, ipsi naturæ. Deinde consensus mirus gentium, populorumque, si non omnium, saltem plerorumque, aut moratorum, circa approbationem, vel improbationem eorum, quæ huic regulæ conveniunt, vel repugnant. Qui non esset talis, nisi à communi

ni principio, & hominibus omnibus innato, proficisceretur.

4 Licet autem detur Jus Naturæ, tamen sunt qui dubitant, an possit sciri, atque hanc ob causam ita doceri, ut de ejus regulis superfit nulla dubitatio. Rationem afferunt, quod hoc Jus pertineat ad moralia, horum vero nulla certa sit scientia, quia nulla demonstratio, quæ scientiam producat. Demonstrationem certam enim esse tantum rerum necessariorum, non pendentium à voluntate libera; cum hæc sit mutabilis & incerta. Verum errant hi in voce Demonstrationis. Demonstrare namque non est, quod existimant, rem ostendere pendentem à causis necessariis, sed in enunciatione aliqua, de re qualicunque, illa etiam, quæ à libera proficiscitur voluntate, prædicati connexionem cum subjecto esse necessariam, necessitate non Physica, sed moralis, cujus causa veritas est principii alicujus generalis, è quo necessitas ista generatur. Jam cum etiam in moralibus istiusmodi sint principia, quid potest esse causa, ob quam sit negandum, dari & in ipsis demonstrationes? Atque hoc intelligendum & de Jure Naturæ, maxime cum & id (ut
postea

postea liquebit) sua habeat principia, eaque certa & indubitata, causas item veras primasque, unde tales formari enunciationes possunt, quales paulo ante diximus.

5. Adde, quod re ipsa doceatur, suisque firmetur probationibus & demonstrationibus, idque modo *apriori*, per rationes causasque; quod nimirum sit conveniens naturæ humanæ, quatenus proponit ea, quæ cum rationi, tum societati, ad præscriptum ejus ineundæ conservandæque, sunt conformia: modo *aposteriori*, per effectus & consequentia, quod moveat conscientiam, quod consensum obtineat apud omnes, saltem moratiores, eosve, qui naturæ & rationis vim magis perspiciunt, ductumque diligentius sequuntur.

CAP. IV.

De Essentia hujus Juris.

I. **J**uris Naturæ qualis sit essentia, cognosci potest ex ejus quadam definitione. Illa vero sic videtur optime posse formari, si dicamus, esse regulam, inditam menti rationique à Deo, ut ostendat actiones quasdam hominis natura sua esse rectas atque justas, quasdam contra pravas ac injustas,

stas, & per hoc Deo gratas ingratasve, atque sic obliget hominem ad has fugiendas illas vero sequendas & suscipiendas.

2. *Genus*, quo Naturæ Jus hic definitur, regula est, sive norma. *Differentia* pendet à subjecto, objecto, & actionibus, seu affectionibus ejusdem.

3. *Subjectum* est, non animal quodcumque, brutum etiam, nec quicquid ratione præditum, sed homo; & is quoque solum hætenus, quatenus & rationalem & socialem habet naturam, eminentiori vero respectu is, qui nulla alia lege potest teneri.

4. *Objectum*, seu materia circa quam, est, tractationis quidem intuitu, id quod justum est natura sua; hoc est rectum & honestum; quod vero operationem spectat, actiones sunt humanæ, eæque morales; ac ne ipsæ quidem omnes, verum illæ solæ, quæ per se suaque natura, atque sic necessitate aliqua morali justum illud in se comprehendunt, respectu justitiæ, non particularis solum, sed & universalis, aut quæ justo illi adversantur.

5. *Actus* sunt, primo demonstrare, deinde jubere actionem hanc illamve moralem.

lem natura sua esse justam vel injustam, rectam vel vitiosam, Deinde per hanc demonstrationem iussionemque obligare ad agendum, vel omittendum, propter voluntatem ejus, qui est normæ hujus auctor,

6. *Auctor* autem, vel, quod idem est, *causa efficiens* est, non arbitrium decretum, ve humanum, ac ne ratio quidem, verum Deus; qui hanc normam menti rationique indidit, primum per creationem, & per generationem indit hodieque singulis hominibus, eidemque tribuit vim dictandi, atque ita & dictare ipsam voluit, dictataque ejus iussit observari ab hominibus, cum obsequio, quod debetur imperio & potestati ejus, quam habet naturaliter, ut in cunctas res à se creatas, ita & in hominem, cum ob causas alias, tum præcipue ob creationem istam, junctamque illi & huc usque durantem duraturamque porro conservationem.

7. *Forma* consistit in normæ hujus iussiveque rectitudine, id est congruentia cum *Justitia naturali*; quæ intelligi centerique debet secundum suum fundamentum.

8. *Fundamentum* justitiæ jurisque naturalis non est utilitas, sive singulorum per se,
sive

sive omnium conjuncta, nec conservatio sui, nec natura quæ nobis communis est cum brutis; sed natura humana, quatenus est & rationalis, & rationi convenientem cum aliis appetit colitque societatem.

9. *Finis*, intermedius est justitiæ naturalis custodia & conservatio: ultimus, respectu Dei, ut imperio divino per creationem, generationem concessam, & ex eis rationem vimque illi sociatam manifestato satisfiat, illiusque auctoritas, majestas, gloria maneat intemerata: respectu hominum per se consideratorum, perfectio cujuslibet, quoad bonitatem moralem, quatenus in hac rerum omnium imperfectione concessum est; consideratorum vero in consortio cum aliis, consociationis humanæ, cum illius, quæ est omnium inter se communis, tum illius, quæ est certa atque singularis quorundam utilitas & salus.

10. *Affectiones* propriæ hujus juris sunt; primo, quod sit *universale*, ac obliget omnes homines, præsertim eos; qui nullo alio jure possunt teneri. Deinde, quod sit *evidens*, propter necessariam subjecti ac prædicati connexionem, præsertim in earum regularum enunciationibus, quæ sunt principi-

pia rēliquarum. Tertio, quod sit *immu-
bile*, non solum hominum intuitu, sed ipsius
Dei quoque: ne partim naturam abs se hoc
modo, id est optime sapientissimeque con-
dicam evertat, partim agat quid perfectio-
ni suæ adversum, id est, desinat esse Deus.
Quarto, quod interpretationem *moderatio-
nemve non admittat*, per æquitatem, vel cle-
mentiam, sicut alia quædam jura. Postce-
mo, quod *nulla detur liberatio ab ejus obliga-
tione* per dispensationem aliquam supe-
rioris.

CAP. V.

*De essentia hujus juris, quoad effecta ejus
& consequentia.*

I. *E*ffectus Juris Naturalis est duplex, unus
respectu eorum, qui actionem susci-
piunt, aut susceperunt, alter respectu eo-
rum, ad quos actio refertur, aut referri de-
bet. His dat facultatem exigendi quic-
quid nomine hujus juris vere ipsis debetur:
illis actionem quamlibet, ad regulas & di-
ctata juris hujus collatam, perque judicium
rationis rectum adprobatam, reddit vali-
dam, respectuque juris immutabilem: im-
probatam vero rejicit, auctoremque ejus re-

um facit neglecti hujus juris, debitoremque illorum omnium, quæ ob hunc neglectum jure ab ipso exiguntur.

2. Consequens est, primo respectu Dei, seu Legislatoris, comprobatio & placitum, si actus juri fuerit conformis; atque ex adverso ejusdem improbatio, commotio, ira, & ex his ultio severa, si non fuerit conformis. Deinde respectu agentium, animi ac conscientia quies & securitas, ex sensu comprobationis divinae, si jus observaverint, vel, si non observaverint, cruciatus eorundem ac tormenta, ex sensu iræ Divinae, ac ultionis sibi imminentis. Denique respectu eorum, ad quos actiones referuntur, pax & tranquillitas, aut versa vice, periculum & bellum, pœna & supplicium, prout actio justa, vel injusta antecesserit, atque is, cui facta est injuria, jus suum voluerit exigere.

CAP. VI.

De oppositis Juris Naturalis & differentia.

I. **Juri Naturali** oppositum est jus voluntarium. Est autem jus hoc duplex, Divinum aliud, & aliud humanum.

2. Dif.

2. Differt Jus Naturæ à jure voluntario Divino, quod hoc jus fit propter simplicem Divinam voluntatem, neque semper tale fit, aut perpetuum: Naturale vero, voluntatem istam divinam quasi antecedit, cum habeat congruentiam quandam cum natura Divina, & ideo idem maneat perpetuò.

3. Differt à jure humano, quod cum illud auctorem habeat Deum, naturamque ad id proponendum & intelligendum formatam, hoc oriatur ab hominibus, & eorum voluntate. Cumque, pro hac ipsa voluntate, humanum neque idem sit ubique, & apud omnes populos aut civitates, nec in eadem civitate idem semper maneat; Jus naturæ contra idem est ubique, manetque omni tempore. Humanum quoque, ac maxime civile, versetur magis circa actus, qui natura sua sunt indifferentes; naturæ vero circa eos tantum, qui natura sua, & per se, vel turpes sunt, vel honesti. Jus civile etiam attendit magis commodum & utilitatem, conservationemque hujus illiusve civitatis: naturæ vero, magis honestatem, & conservationem societatis humanæ. Denique, jus civile obligat tan-

cum

tum ad tempus, quamdiu nimirum Lex durat, naturale vero in perpetuum.

CAP. VII.

De divisione Juris Naturalis.

I. **D**ividitur Jus Naturæ in id, quod homines spectat generatim, ut primo sunt homines, ac deinde ob hanc causam, quod sunt homines, inter se sociati, & in id quod eosdem spectat, quatenus distributi sunt in certas quasdam gentes. Prius communiter dicitur Jus Naturæ, posterius speciatim Gentium jus vocatur.

CAP. VIII.

De Legibus hujus Juris.

I. **C**ontinetur Jus Naturæ dictatis facultatis rationi à Deo per naturam indicæ, iisque vel primis, vel ex primis illis beneficio ratiocinationis fluentibus deductisque, quæ præcepta ejus, seu leges possunt dici.

2. Præcepta hæc in varias dividi possunt classes. Nam alia sunt prima hominibus statim & per se nota, alia ex primis illis per consequentiam rationabilem deducta, ut jam dictam, Deinde, alia sunt affirmati-

va magis & præcipientia, alia negativa & vetantia. Sunt quoque ex his aliqua determinativa, alia vero absque determinatione aliqua, generaliter proposita. Quædam quoque certam hominis respiciunt conditionem, eaque posita obligant deum; quædam non respiciunt. Ad postremum, sunt majora quædam, quædam minora, non juris aut obligationis respectu, sed materiæ, circa quam versantur.

3. Omnia hæc præcepta respiciunt debitum congruentiæ cum Justitia naturali, quam in actibus humanis exigit auctoritas & potestas Legislatoris, hoc est, Dei, manifestata per naturæ humanæ, id est, rationis rectæ, quæque ipsam talem efficit facultatis innatæ vim, exigereque intelligitur hoc ipso, quod naturam hanc tali modo condidit ac creavit.

4. Auctoritati quoque huic ac potestati parendum esse, homo intelligit per eandem naturam atque rationem triplicem, que ex ea indicamur notitiam. Videlicet primo, quod sit necessario ens quoddam summum, à quo cuncta alia dependent, idque vulgo nominetur Deus. Deinde, quod Deus sciat, curet, atque ideo probet,

im-

improberve cum effectu, hoc est, supplicio
& poena, vel securitate comodoque negotia
humana. Denique, quod anima humana
sit immortalis, postque vitam hanc statum
vel lætum & optabilem, vel tristem & abo-
minabilem exspectare cogatur.

PARS SPECIALIS.

Juris Naturæ specialis pars *membra* con-
tinet *duo*: *Prius* docet quid sit facien-
dum, *posterius*, quid, si hoc neglectum
fuerit, sequatur. Illud *debitum*, hoc juris
ex neglectione debiti illius in debitore *per-
secutio* vocari posse videtur.

MEMBRUM PRIUS:
DE DEBITO.

1. **D**ebitum est nihil aliud, quam quo actio-
nes morales, ad Jus Naturæ spectan-
tes, per hoc Jus Naturæ obligatæ sunt ad
observationem certæ formæ, quæ illius ju-
ris regulis præceptisque respondeat, pro-
pter facultatem cujuscunque, qui actiones
tales justè potest exigere.

2. Hæc facultas, quæ & *Jus* vocari sæpe
solst

solet, principaliter & eminenter est in Deo, consequenter demum in hominibus, ex quo sequitur, ut quicquid homo debet, cuiuscunque debeat, id principaliter debeat propterea, quia debet Deo. Actionesque hoc, vel alio, formandas esse modo, quia tali modo Deus, qui in eas summam habet jus, formari per naturam præcepit.

PARS PRIOR.

CAP. I.


De debito erga Deum in genere.


1. **O**Mne debitum erga Deum versatur in actionibus, quæ vel Deum tantum respiciunt, vel Deum simul, & homines alios.


CAP. II.

De debito in eis actionibus, quæ Deum tantum respiciunt, seu debito erga Deum in specie.

1. **Q**uicquid ex actionibus humanis sic debetur Deo, ut eum tantum respiciat, id debetur, vel respectu Dei ipsius, vel respectu hominis cujuslibet per se. Respectu Dei, Deo à quolibet debetur Pietas: respectu hominis cujuslibet per se, à quolibet Deo









www.books2ebooks.eu